

1999-12-04- SS Ioannes Paulus II - Epistola 'Fratri Nostro Eduardo Cardinali Clancy'

LETTERA DI GIOVANNI PAOLO II AL CARDINALE EDWARD BEDE CLANCY , INVIATO SPECIALE AL "MARIAN CONGRESS ON THE HOLY TRINITY" DI MANILA

Venerabili Fratri Nostro Eduardo S.R.E. Cardinali Clancy Archiepiscopo Sydneyensi

Ceteras quemadmodum gentes et Philippinenses fideles sat scimus ad Magnum Iubilaeum celebrandum convenienter sese comparare, qui superiora fere tempora revocantes, cum primum Evangelii semen sollicitis operantibus missionariis allatum est, renovatum vigorem inde suscipiunt ad ulteriora studiosius patranda illiusque aetatis monitiones suasionesque firmiter tenendas.

Eisdem apud fideles multiplices congressiones antehac coeptae sunt excusso de consilio agi eaeque feliciter sunt ad finem adductae, ut ecclesialis coetus huic praestabili eventui quam paratissimus obviam eat ipsiusque penitus capiat rationem. His spectatis rebus, diebus XXVII-XXIX mensis Ianuarii anni MM, Venerabilibus Fratribus Episcopis Philippinis auctoribus, Manilae "Marian Congress on the Holy Trinity" agatur, superiorum conventuum complectendorum causa ac fere eorundem extollendorum.

Quandoquidem Venerabilis Frater Noster Iacobus L. S.R.E. Cardinalis Sin te nominatim ut mitteremus postulavit ad rem illam absolvendam, Nos idem plane sentientes, te destinare studemus ad eandem congressionem faciendam teque ideo, Venerabilis Frater Noster, Missum Extraordinarium constituimus, ut diebus illis inibi intersis ipsamque vocem Nostram significes, unde cuncti novum animum suscipiant virtutisque ardore inflammentur.

Palam demum benevolentiam Nostram declarabis et sollicitudinem, dum preces pariter fundimus ut caelestis Matris late proferatur pietas et gentibus illis, quae circa sunt, magis magisque sit radians et fulgida ipsa virtutis veluti sidus. Salutationem tandem fervidam omnibus transmittere properabis et Benedictionem Nostram Apostolicam universis simul huius eventus participibus nomine Nostro Nostraque auctoritate largiaris velimus, quae sit divinarum gratiarum nuntia et felicius temporis signum.

Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Decembris, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.